MAGNIFI

ILLVSTRI ATQVE EXPER

DOMINO

DOMIN

HERMANNO F
TEICHMEY

PHIL. ET MEDICINÆ

CONSVMMATISS

ANATOMIÆ CHIRVRGIÆ E

PROFESSORI LONGE CEL

DVCVM SERENISSIMOR

VINARIENSIS ET ISENACENS

RIO AVLICO ATQVE AR

SPLENDIDISSIM

ACAD. NAT. CVR. LEOP

NEC NON REG. SOC. SCIE

SODALI MVLTVM DIG

DYNASTÆ IN CAMSDORFF ET

PVRPVRAM ACAD

SVBMISSE GRATVL

PECVLIAREM

DE

CIBO FILII DEPER

Luc. XV. 16.

SENTENTIAM EXPON

DANIEL RICHT

IENAE

TYPIS FICKELSCHERRI

CIↃIↃCCXXXVIII

FICO
XPERIENTISSIMO
NO
INO

D FRIDER.
EYERO

NÆ DOCTORI
TISSIMO
IÆ ET BOTANICES
E CELEBERRIMO
MORVM SAXO-
ACENSIS CONSILIA-
VE ARCHIATRO
ISSIMO
LEOPOLD. CAROL.
. SCIENT. BEROL.
I DIGNISSIMO
FF ET WENIGENIENA

CADEMICAM
TVLATVRVS
AREM

DEPERDITI
. 16.
EXPONIT
CHTER M.

AE
HERRIANIS
XXVIIII.

INter eos, qui peculiares de rebus ad eruditionem pertinentibus cum orbe erudito communicare inſtituunt ſententias, maxima longe intercedere conſpicitur differentia. Alii eorum *abſurdi* ſunt; alii *paradoxi*; *rationales* alii. Qui *abſurdi* exiſtunt, præter omnem quamcunque rationẽ, ex re ipſa deſumtam, a vulgari aliqua ſententia recedunt, neque vllam curam rationis habent, qua opinionem ſuam tueantur: ſufficit tantum illis dixiſſe aliquid noui; aut ſingularis. *Paradoxi* citra rationem ſufficientem probatam quandam ſententiam relinquunt, leuiſſimis ratiunculis, quæ pro ſententia ipſorum militare videntur, decepti. *Rationales* autem grauiſſimis ſemper ac ponderoſiſſimis ducuntur rationibus, ob quas tritiſſimis nuncios ſententiis mittant, ſuas quoque validioribus adſtruentes argumentis.

Primi a cupiditate haud deſtituuntur gloriæ, ſed altera ipſis pars deeſt PETRI h. e. vis dextre iudicandi. *Medii* maiorem ſicuti ambitionem, ita & ratiocinandi a natura nacti ſunt facultatem, licet, copia præualente fingendi, haud ſatis eiusdem poſſideant. *Vltimi* ſuperbia plerumque, niſi aut Philoſophorum more vtcunque; aut modo potius Chriſtianis digno, ſe emendarint, intolerabiles neque animo, neque viribus indigere videntur intellectus neceſſariis, dummodo illis recte

ſemper

semper vterentur. *Absurdi* scientias parum opinionibus suis adiuuant. *Paradoxi* confusionem insuper ac detrimentum rebus inferunt literariis. *Rationales* vero eruditis vtique prosunt, abscon- ditas peruestigantes veritatis latebras lumineque collustrantes.

Hinc nec mirum cuiquam videri oportet, quod tam diuersa tres ipsi operantes diuersissimam etiam mercedem reportent operum. *Primos* namque irrisio; *alteros* admiratio, quæ iuncta est indignationi; *postremos* inuidia, vtpote comes gloriæ, cito solet subsequi gressu. Magna incommoda! valida satis, vt vnumquemque ab euulgandis facile deterreant sententiis peculiaribus. Atque hæc dum animo apud me reuoluerim, vix persuaderi mihi sum passus, vt singularem *de cibo filii deperditi*, cuius mentio a Christo facta est *Luc. XV, 16.* sententiam proponens, nomen palam profiterer meum. Enim vero nollem induorum priorum libentius cum sententia mea relegari classem; neque, cum comitē indiuulsum timeam, postremorum me numero adscribi vehementer expeto. Interea, gloriam non quærens, nec horridum istum grauiter extimescam socium.

Iam pridem est, quod miser iste filius siliquas necesse habuerit cum porcis comedere. Quamdiu *versio* scripturæ *vulgata*, imo ipsa nostra *Germanica*, laude sua nequaquam defraudanda, in manibus versatæ sunt hominum; omnes propemodum, nequam

hunc hominē cum ſuibus comitibus ad aqualiculum acceſſiſſe, famemque ſedaturum ſiliquas inde auide petiiſſe, exiſtimarunt. Equidem digna perditiſſimo quæuis ſunt indigniſſima. Digni omnino conuictores, dignum vas cibarium, dignus ipſe cibus. Attamen miſero addenda haud eſt afflictio; nec præter veritatem licet eidem tribuere, quod Chriſtus ipſe noluit ei aſſignatum.

Studio igitur veritatis incenſus pretium operæ ſtatui, in genuinam των κερατιων inquirere notionem, &, quid voce hac hic loci indicetur, ſi non certiſſime, probabiliter ſaltem determinare. Nemo intempeſtiuæ mihi ducat miſericordiæ, cum victum ſiliquarum inhoneſtum filio immorigero ſubtrahens honeſtiorem ipſi proponere nitor. Neque vero arguat quiſquam, quod valde deprecor, me deſiderio forte ad improbiſſimi huius ſocietati me adiungendum trahi, vt vel propterea melioris iſti farinæ alimentum ſtudeam procurare. Abſit a quolibet, qui bonæ notæ eſt, filio, vt veſtigiis inobedientis huius cupiat inſiſtere; ſicuti optandum maxime, vt quiſque extra oleas natus degener latus ad frugem tandem cum nato perditiſſimo redeat.

Verſiculus 16. integer in fonte ſic fluit: και επεθυμει γεμισαι την κοιλιαν αυτου απο των κερατιων, ων ησθιον οι χοιροι· και ουδεις εδιδου αυτω: *vbi* (1) *delectabatur* (2) *implere ventrem*

---

(1) nempe in agris, quo miſſus cum ſuibus ſecundum verſum præcedentem a domino ſuo erat, confer. b. STOCK. *Interpr. Gr.* §. 218. III. 2. β.

(2) proprie *concupiſcebat*. Eſt autem hic metonymia conſequentis pro

trem suum ex ceratiis, quibus vescebantur porci: eo quod (3) *nemo ei dabat quicquam* (4).

Dum mentem meam de vocula κερατιον recte h. l. transferenda adhuc non explicuerim, nec ausus eam fui ciuitate ante tempus donare latina; id quod iure postmodum, sententia mea rite exposita confirmataque, valebo. Sed quo firmius eidem ac minus vacillans substernam fundamentum, necesse ante omnia erit, vt reliquas eruditorum, quae vulgo de voce ista obtinent, opiniones rite modesteque examinem, quaeque contra illas moneri queant, stricte percenseam.

Varias ex illis S. R. iam B. recenset Polyhistor WOLFIVS *Cur. Philol. & Crit.* in *N. T.* tom. I, p. 690. 691. quae autem in duas commode dispesci queunt classes. Posteaquam nimirum Auctor *versionis* Bibliorum *vulgatae* ἐκ τῶν κερατίων *ex siliquis* interpretatus fuerat, non occupatos amplius solicitosque Interpretes τα κερατια habuere Graecorum, sed Latinorum tantummodo *siliquae*. At vero *siliqua* ambiguae iterum penes Latinos, maxime recentiores, significationis est dubiaeque explicationis: etenim vel *le-*

 gumenta

anteced. quo in sensu & vox ista occurrit Luc. XVI. 21. & penes LXX. Ies. LVIII, 2.

(3) Confer. STOCK. l. c. §. 218. l. 4.

(4) Solenne admodum Graecis est, ellipsin pronominis τις, τι, quando pro *indefinito* accipiendum, admittere, confer. LAMB. BOS. *Ellipses Gr.* p. 195. quae eo magis hic agnoscenda est atque supplenda, quo minus dubitari licet, quin filius deperditus, quamuis a nemine cibum cum porcis edendum acceperit, ipse manibus suis illum potuerit arripere; namque rure degentem quis facere hoc prohiberet.

gumenta frumentorum denotat *ex cereuisia redeuntia cocta* (Trebern); vel *ceratoniam* Johanns-Brodt a Germanis appellatam. Hinc anxie secum Commentatores disputauere omnes: num *legumina* hic intelligere præstet; an *ceratoniam*. Hoc est riuulos sectari, omissis fontibus.

Neque vero, rationis ego quicquam assequi valeo, quamobrem dictæ *versionis* Auctor το κεράτιον recte per *siliquam* explicari statuerit. Atque adeo, in *rationis* istum impegisse *sufficientis principium*, non possum non publice hic proclamare.

Sed angustiæ paginarum haud sinunt me longiorem esse, quapropter fini propius accedens meo dubia primum contra eos excitabo, qui nomen κεράτιον *siliquam* reddentes vel *legumina* sub isto cogitant *frumentorum* (Trebern); vel *ceratoniam* dictam: deinceps autem sententiam meam planius de eo, &, quantum fieri potest, solidius expositam quibuscunque relinquam ad diiudicandum.

Equidem Romani minime in eo versatur imperii salus, vt *legumina* sciamus haud fuisse, quæ miser porcos agens filius comederit: interim nec bellum statim producet religionis causa susceptum, si nequaquam hoc ignoraverimus. Videlicet *legumenta* istiusmodi cibum deperdito haud præbuisse, ex defectu inprimis rationis, quamobrem κεράτιον *silliquam* vertamus, liquido demonstrarem; nisi dubia alius suppeterent generis, & nisi antea iam deficien-

tem

tem istam rationem vsus ssem. Etenim quo iure *siliqua* illud ab aliis redditum fuit, eodem, imo maiore adhuc, *furfurem*, *auellanam*, quid? quod *malum* exprimi liceret *syluestre*. Sed nolo dubio huic immorari amplius. Ad alia properabo.

Fames regionem, qua filius nunc commorabatur immoriger, occuparat valida, quod versus testatur decimus quartus; sed tempore istiusmodi inualescentis annonæ de cibo maxime quisque solicitus esse solet apparando, potum ex frumento coquendum facile negligens, quippe quem aquam semper supplere sitienti meminit. Vnde vix creditu par est, ciuem istum, cui, necessitate adactus summa, infelix iste se adiunxerat, frumenti sui adeo prodigum extitisse, vt cereuisiæ illud coquendæ impenderit, quo siliquas inde redeuntes suibus subministraret in alimentum; inprimis cum, magnum ipsum numerum eorundem aluisse, peculiaris prodat pastor receptus. Neque hac ratione fame se consumi filium oportuisset conqueri nequam, si domino inseruiisset tanta frumenti instructo copia.

Noui etiam, quod antiquissimum potionis hominum genus aqua extiterit limpida, quam & conuenientissimam naturæ esse, saluberrimamque homini, qui a puero eidem assuefactus est, celeberrimos scio filios propugnare GALENI. Certe potus iste arte præparatus ac *cereuisia* a nobis dictus subsequenti demum ætate a delicatulo inuentus est mundo, licet

de

de anno, quo ortum iste ceperit, nihil certi possit asseuerari. Interim credibile vix est, quod tempore isto, quo Christus terris his præsens adfuit, cereuisiæ iam tum prostiterit: siquidem nulla eius apud auctores classicos, siue Græci illi sint, siue Latini, facta vllibi mentio fuit; neque in sacris vspiam vestigia de eadem deprehenduntur. ζυθος quid LXX. Interpr. Ies. XIX. 10. PLINIOque fuerit, disputari adhuc potest. Inprimis de Palæstina difficillimum existet probatu, quod incolæ eius sitim hoc tempore cereuisia restinxerint, quippe quæ vino affluebat ac limpidissima aqua.

Nec vsu apud homines euenire solet, vt suibus in agris pascendis siliquæ domo mittantur: namque vel ideo ruratum illi a domino ablegantur, vt ipsimet alimentum sibi, quodcunque possunt, acquirant. Id quod fieri vtique hic debuisset, si cum porcis siliquas rure absumere filius exstimulatus nequissimus esset.

Prætereo, locutionem istam: ων ησθιον οι χοιροι, *quæ comedebant porci* aut frustra hoc modo; aut præter rationem in tempore adiectam fuisse *imperfecte præterito*, cum in *præsenti* eam oportuisset efferri: etenim, siliquas ordinarium porcorum constituere victum, neminem latet. Quod dum vtrumque absonum est, dicere nobis necessitas præcipit, Christum in *imperfecto* verba hæcce enunciasse, quo innueret, tunc temporis hominem hunc cibo delectatum esse porcorum vesci, cum rure eosdem ante se abegerit. Dissi-

Dissimulo etiam, quod *siliquæ* natura sua ita compara-tæ esse videantur, vt, nisi ingente multitudine consumtæ, alimentum haud quaquam valeant præbere, sustentatio-nemq; promouere hominis. At, quo abundantiore illæ vi deuorentur, eo firmiorem ventri obstructionẽ debent attrahere; quo quidem obserato, præsentissimum im-minet periculum mortis. Filium autem deperditum per multum temporis suibus pascendis vacasse tractum, vel inde tanquam probabile apparet, quod v. 15. *adhæsisse* miser dicitur, siue proprie *agglutinatus fuisse* viro cui-dam regionis, quo proximior omnino longiorque de-notatur nexus; item quod homines istiusmodi, qui ad pecus in agris pascendum conducuntur, non ad breue locari assolent tempus. Et quanquam obiici possit, re-censionem hanc de nato perdito veram haud sistere hi-storiam, sed parabolam modo exhibere; attamen re-spondere facile possumus, sapientiæ Christi summæ at-que omniscientiæ vix ac ne vix quidem congruum vi-deri & decorum, vt circumstantias enarrationi immi-scuerit sibi inuicem contradicentes.

Atque hæc contra eos monuisse sufficiant, quibus mensam filii deperditi *siliquis* instruxisse placet. Nunc cum iis quoque in certamen, amicum quidem illud atque honestum, descendam, qui *ceratoniam* misero eidem proponere nulli addubitant. Quemadmodum vero superiores nimis rigorosos, immites atque immi-sericordes egisse se erga egenum videntur; ita hi in alte-rum prolapsi extremum nimis videntur sese benignos,

de anno, quo ortum iste ceperit, nihil certi possit asseuerari. Interim credibile vix est, quod tempore isto, quo Christus terris his præsens adfuit, cereuisiæ iam tum prostiterit: siquidem nulla eius apud auctores classicos, siue Græci illi sint, siue Latini, facta vllibi mentio fuit; neque in sacris vspiam vestigia de eadem deprehenduntur. ζυθος quid LXX. Interpr. Ies. XIX. 10. PLINIOque fuerit, disputari adhuc potest. Inprimis de Palæstina difficillimum existet probatu, quod incolæ eius sitim hoc tempore cereuisia restinxerint, quippe quæ vino affluebat ac limpidissima aqua.

Nec vsu apud homines euenire solet, vt suibus in agris pascendis siliquæ domo mittantur: namque vel ideo ruratum illi a domino ablegantur, vt ipsimet alimentum sibi, quodcunque possunt, acquirant. Id quod fieri vtique hic debuisset, si cum porcis siliquas rure absumere filius exstimulatus nequissimus esset.

Prætereo, locutionem istam: ων ησθιον οι χοιροι, *quæ comedebant porci* aut frustra hoc modo; aut præter rationem in tempore adiectam fuisse *imperfecte præterito*, cum in *præsenti* eam oportuisset efferri: etenim, siliquas ordinarium porcorum constituere victum, neminem latet. Quod dum vtrumque absonum est, dicere nobis necessitas præcipit, Christum in *imperfecto* verba hæcce enunciasse, quo innueret, tunc temporis hominem hunc cibo delectatum esse porcorum vesci, cum rure eosdem ante se abegerit.

Dissi-

Dissimulo etiam, quod *siliquæ* natura sua ita comparatæ esse videantur, vt, nisi ingente multitudine consumtæ, alimentum haud quaquam valeant præbere, sustentationemq; promouere hominis. At, quo abundantiore illæ vi deuorentur, eo firmiorem ventri obstructionẽ debent attrahere; quo quidem obserato, præsentissimum imminet periculum mortis. Filium autem deperditum per multum temporis suibus pascendis vacasse tractum, vel inde tanquam probabile apparet, quod v. 15. *adhæsisse* miser dicitur, siue proprie *agglutinatus fuisse* viro cuidam regionis, quo proximior omnino longiorque denotatur nexus; item quod homines istiusmodi, qui ad pecus in agris pascendum conducuntur, non ad breue locari assolent tempus. Et quanquam obiici possit, recensionem hanc de nato perdito veram haud sistere historiam, sed parabolam modo exhibere; attamen respondere facile possumus, sapientiæ Christi summæ atque omniscientiæ vix ac ne vix quidem congruum videri & decorum, vt circumstantias enarrationi immiscuerit sibi inuicem contradicentes.

Atque hæc contra eos monuisse sufficiant, quibus mensam filii deperditi *siliquis* instruxisse placet. Nunc cum iis quoque in certamen, amicum quidem illud atque honestum, descendam, qui *ceratoniam* misero eidem proponere nulli addubitant. Quemadmodum vero superiores nimis rigorosos, immites atque immisericordes egisse se erga egenum videntur; ita hi in alterum prolapsi extremum nimis videntur sese benignos,

 lar-

largos ac mites erga eundem exhibere. Non inuiderem cibum hunc pauperi, dummodo rationem animadverterem qualicunque ex parte sufficientem, qua opinionem hanc commouerer amplecti. Sed nullam plane rationem obseruans, quapropter κεράτιον pro *ceratonia* accipiam, nec possum sententiam istam prorsus non respuere. Conuenientia inter se vocum leuis est, neque attentionem quamcunque meretur: millies enim mille in linguis diuersis vocabula habentur, quæ pronuntiatione quodammodo inter se consentiunt, vtut significatus eorundem quam diuersissimus appareat. Haud quisquam etiam istorum, qui sententiam hanc stabiliendam sumsere, quantum memini, extitit, qui vllum adducere ausus fuisset locum Profanorum, vbi κεράτιον eo in significatu veniat.

Accedit, quod *ceratoniam*, quæ in aromatopoliis non ita multo pretio apud nos licet, hinc atque illinc ab vno ad alterum vertendam latus considerans nihil similitudinis deprehendere ac peruestigare possim, quæ cum *corniculo* ipsi, vt κεράτιον a κέρας *cornu* proprie qua notionem suam formalem sonat, interueniat.

Neque *itineraria*, quæ res tradunt Orientis memorabiles, certiores nos de eo efficiunt, quod fructus iste *ceratonia* nuncupatus, intra fines progignatur *Palæstinæ*, quemadmodum de *Syria*, *Aleppo* hodie dicta, item de insula *Cypri*, nec non de tractu quodam regni *Neapolitani* constanter confirmant, conf. THOM. BROWN in *Tract. miscell.* Londini 1684. n. I.

Imo

Imo vero ne sic quidem pharetra dubiorum exantlata est. Superueniunt adhuc alia, eaque neutiquam spernenda. Videlicet dum Christus in eas tandem filium perditissimum enarrat angustias coniectum esse redactumque ad incitas, vt cibo ipse vesci concupiuerit, quem sues comederint comites: quis non animaduertit, mentem Seruatori hæsisse, illud indicare ac declarare alimenti genus, quod abiectissimum, vilissimum, insipidum, molestissimum maximeque fuerit ingratum; pro quo autem *ceratonia* nequaquam reputari licet, quippe quam suauissimam esse dulcissimamque, nemo, qui eandem gustauit, vnquam præfracte negabit.

Denique huc pertinet, quod nulla his circumstantiis causa appareat manifesta, quamobrem, *fame se perire*, miserrimus conquestus sit v.17. Enimuero nutrimentum *ceratoniam* corpori afferre haud contemnendum, & experientia loquitur; & succus iste probat, quo per longos sæpenumero apud nos torrefacta annos adhuc abundat. Vnde & veteres, quod PLINIVS notat *Histor. nat.* libr. XV. cap. 24. vinum aliquod inde extraxere eximium.

Interea si qui de vino hoc ex ceratonia antiquis temporibus expresso ansam arripuisse visi sunt cogitandi, anne fortassis *reliquiæ* hic intelligi *ceratoniæ* debeant, quæ vino destillato remanserint: eos celare haud possum, quod non in rationis solummodo impingant defectum; sed in pleraque etiam incurrant dubiorum, quæ aduersus antecedentem de *legumentis frumentorum* opinionem fuere proposita.

Sic viam præparatam habeo, qua ad mentem meam de cibo filii degeneris progredi possum explicandam. At vero solennissime antea omnibus eorum obloquor iniuriis atque obtrectationibus, qui me, vti aliis sæpissime noui accidere, vel singularem ideo æstimare vellent hominem, quod peculiarem aliquam stabiliam defendamque sententiam. Hoc profecto a musca esset argumentari ad elephantum. Equidem *singularitas non semper obest, sed nec semper prodest eadem.* Interim *cum ratione singularem esse, sapientiæ est; sine ratione stultitiæ: citra offensionem vero aliorum agere singularem, solius fortunæ.*

Hisce præmonitis dicam tandem, quæ sentio. Scilicet *glandes* ego κεράτια fuisse arbitror, quas filius deperditus porcos rure agens manducarit. Non RABANVS mihi, quem nomine solo indicat S.R. WOLFIVS l. c. facem ad animum hunc induendum prætulit. Prius hac mente extiti, quam, RABANVM lucem adspexisse & vocem κεράτιον transtulisse *glandem*, noui. Opinionem igitur nouitatis, sed non singularitatis idem mihi eripuit sententiæ. Nullam is, quod scio, rationem expositionis dedit, nullam aliorum profligauit opinionem: reddidit modo τὸ κεράτιον *glandem*. Ego autem, ne frustra hanc de κερατίοις opinionem sumsisse videar, argumenta etiam depromam, quibus corroborem mentem, &, ni certissimam, probabilissimam saltem eandem efficiam.

Non plures citabo scriptores, non plura proclamabo: videantur, euoluantur, conferantur. Vanitatem his rebus haud raro subesse, experientia didici. Et qui

possem

possem ego volens ad plurium prouocare auctoritatem scribentium, cum, inopia librorum laborans, plurima ex me fingere debeam, veluti aranea. Tantum autem abest, vt male hoc animum habeat, vt in singulari potius Dei supremi beneficio ponam, quod paucos mihi facultatem a iuuentute concesserit comparandi libros: ita enim vel inuitus meditationi debui adsuescere, quæ verissimum contra opiniones præiudicatas antydotum est, firmissimumque præsidium, vt ne aliorum nos facile auferant abstrahantque iudicia. *Adeo incommodum nullum est, quod in commodum nequeat ab intelligente conuerti. Cœlum etiam quandoque pluit, quandoque serenat. Est fletus ætas, sed lætitiæ quoque tempus. Felix, qui tandem fine beatus erit.* Verum enim vero quorsum delatus sum, delapsus sum, quorsum? Quodsi vena nequit, parit indignatio versus. Sed nonne animum habui rationes istas exponere, quibus inductus τὸ κεράτιον *glandem* interpretari maluerim? Ita ergo accipe.

Κεράτιον a κέρας est, quod *cornu* significat. Terminatio ιον diminutiuum eius significatum arguit, vti a βίβλος *liber* βιβλίον deuenit *libellus*. Hinc κεράτιον recte per *corniculum* vertere licebit. At vero non *cornua*, aut *cornicula* a porcis socioque eorum misero re ipsa comesta esse, sed fructus similem cum *corniculis* figuram obtinentes; quisque, qui animantium naturam perspicit, illico largietur. Qui *glandes* (Eicheln) vidit, in isto consentiet mecum, quod figuram illæ *corniculorum* præ omnibus referant agrorum fructibus.

 Enim

Enim vero teretes basin diffusam possident, sed in altius assurgentes paulatim constringuntur, donec in cacumine quodam deficiant. Ecquis igitur, *glandes* ob figuram suam recte κεράτια dici, negarit.

Canaan quoque terram fructuosam admodum extitisse quercuum, vtpote *glandium* progenetricum, multa codicis diuini loca clare edicunt, vid. Gen. XIII, 18. XXXV, 4. 8. Deut. XI, 30. Iud. IX, 6. 2. Sam. XVIII, 9.

Præterea constat, *glandes* ordinarium pro porcis, qui saginandi in agros syluasque mittuntur, alimentum haberi; quod & idem hic loci extitisse, eo propius ad veritatem accedere videtur, quo minus penuria rerum caritasque annonæ alere sues domi permittebat.

Insuper *glandes*, quippe bestiis in cibum a Deo assignatæ, vilissimæ sunt dapes existimandæ. Vnde recte Seruator afflictum deperditi statum graphice depicturus adeo ipsum ad incitas moribus redactum fuisse pronuntiat, vt victu etiam feris ac porcis a Deo destinato vitam sustentare anhelarit.

Etiamsi autem *glandes* despectum valde hominis constituant victum, ea tamen animaduertuntur conditione existere, vt ad summam necessitatem nutrimentum cuiquam possint elargiri; quemadmodum, tempore caritatis maximæ annonæ farinam inde ad panem coquendum a pauperibus præparatam fuisse, audire me memini. Hinc nemini mirum adeo videbitur, quod vsu earundem vitam aliquantisper homo iste protraxerit miser.

Sed

Sed quoniam ingrato ſapore ac difficillima *glandes* dantur concoctione, ſpiſſum ſimul corpori inducentes ſanguinem; nullum etiam admiratio ſubibit atque occupabit confuſiſſima, quando miſerum noſtrum verſiculo inſequente 17. querentem audiuerit, *fame ſe periturum certiſſima fore*: tempus enim *præſens*, quod pro *futuro* adhibitum eſt, certitudinem inuoluit effectus futuri.

Hæc ſententia mea eſt. Hæ ſunt eius rationes. Si quis rectiorem, mea, opinionem calluerit tradideritque probabiliorem; nullus ego deero, quin, nuntio ſententiæ meæ miſſo, actutum iſtam apprehendam.

Iam ad TE ſubmiſſe accedo, quem iudicem in primis ſententiæ meæ rogo, VIR MAGNIFICE atque ILLVSTRIS! Leuis quidem res eſt, ob quam iudicem TE, VIR MAGNIFICE! appellare audeo; ſed quæ maxima Criticorum ac Philologorum, imo & Medicorum vexauit defatigauitque ingenia. Vidimus TE, VIR MAGNIFICE atque ILLVSTRIS! ante hebdomades aliquot purpuram quartum induentem ſceptraque ſuſcipientem Academica. Hilares omnes facti ſumus, & boni quicunque dignum illum PERSONA TVA ILLVSTRI ornatum ſincere TIBI ſunt gratulati. Non eges præcone laudum TVARVM, cum merita TVA de tot hominum, etiam PRINCIPVM SERENISSIMORVM, ſanitate; merita de orbe literario Medico vniuerſo; merita de Academia hac florentisſima, dudum TE omnibus ſingulisque probarint ac commendarint Medicum ætatis noſtræ facile Principem. Exi-

qui ſane Thuringiæ fin
plectantur: totam illa
quid dico: Germaniam
liam perrupit. Prædi
TVA in Medicinam m
Gallia ac celebritatem
vero montes Pyrenæi a
tere ſua, quin & Hiſpa
quis igitur dignum TE
didiſſimum in Academ
fici adminiſtres munu
hanc acceptam digniſſi
frui precor perpetua: i
ſalutem Academiæ ſuſc
ſucceſſus, deuote exc
& cum *familia* TVA
elegantiſſima ſ

giæ fines ſunt, qui famam TVAM com
m illa permeauit Germaniam. Se
maniam? Alpes iſta tranſcendens in Ita
Prædicant Itali laudes TVAS, merit
nam maxima agnoſcunt. Nouit T
tatem nominis TVI miratur. Imm
renæi altitudine haudquaquam obſti
Hiſpani de fama TVA acciperent. E
um TE non maxime reputet, qui ſplen
Academia Salana *Prorectoris Magni*
munus. Gratulor TIBI dignitatem
dignisſimam, proſperitate TE cum ipſ
etua: in primis, conſiliis TVIS, quæ i
niæ ſuſcipis, omnibus lætus vt adſpire
te exopto. Ita vale VIR MAGNIFICE
lia TVA *illuſtri, celeberrima* atque
ſſima ſemper ſemperque flore.